

Dissertatio academica de  
Mariæstadio Vester-Gothiæ  
oppido, quam ... præside...

Rosenadler, Johan

*1700-1829 22 Ck Br. Mariestad*



MARIESTAD  
ROSENADLER

Ex. A

Geogr. Su.  
VASTER. TL  
(B.H.)

1700 - 1829



ROSENADLER

D. D. Ex. A

Geogr. S. v.  
(Br)

DISSERTATIO ACADEMICA

Västergötlan

De

1700 - 1829

# MARIÆSTADIO

Vester-Gothiæ oppido,

*Quam*

*Consentiente Ampliff. Facult. Philos.  
in Regia Acad. Upsalensi*

PRÆSIDE,

*Amplissimo & Celeberrimo*

DOMINO,

DN. JOHANN E

UPMARRER

adl. 1719  
Rosenadler


Eloq. & Polit. Prof. Reg. & Skytt.

Ad diem 23. mensis Junii 1716 ho-  
ris locoq̄ post merid. solitis

*Publico examini subijcit*

CLAUDIUS BAHR

Mariæstadiensis.



UPSALIÆ,

Ex Officina Werneriana.



S.Æ R.Æ M.TIS

Maximæ Fidei Viro

&

SENATORI,

Nec non

Collegii, cui recognoscendarum  
Legum Svethicarum cura  
commiffa est,

PRÆSIDI

*Illustriffimo & Excellentiffimo*  
COMITI ac DOMINO

Dn. GUSTAVO  
CRONHIELM

Magno Literarum Patrono,

DOMINO MEO GRATIOSISSIMO.



S.Æ R.Æ M. TIS

Magnæ Fidei Viro

Procuratorum Regiarum

CONSILIARIO

*Perillustri ac Excellentissimo*

DOMINO

**Dn. SALOMONI  
CRONHIELM**

MÆCENATI GRATIOSISSIMO

Solent illi, MÆCENATES MA-  
XIMI, qui aliqua ingenii specimina  
publico committunt, iisdem præfigere  
summorum Virorum nomina, ut vel de-  
cus & splendorem opusculis suis conci-  
liant, vel ut semet eorum favori com-  
mendent. Atque quod tenuem opellam  
meam ILLUSTRISSIMIS & EXCEL-  
LENTISSIMIS VESTRIS NOMINI-  
BUS illustrare ego sustinuerim, dubito  
an unquam ausus fuisset, nisi oppidum  
Mariæstadiense, quod ego in me rudi  
penicillo describendum sumsi, sese de VO-  
BIS tanquam aliquo tempore inhabitato-  
ribus & alumnis gratulari posset, tum  
videlicet quando Vestro Gothiam guber-  
naret Perillustris & Generosissimus  
Dn. BARO POLYCARPUS CRON-  
HIELM, VESTER, ILLUSTRIS-  
SIMI MÆCENATES beata jam  
memoriæ genitor & Parens. Huic  
accedit, quod humillimo & devotissi-  
mo animo agnoscere debeo gratiam sin-  
gularem, qua paternam domum à mul-  
tis retro annis amplecti dignata est it-  
lustrissima CRONHIELMIANA  
familia

familia, quam cum demereri nulla ratione possum grato animo admirari par erit. Ut igitur levidense hoc munus char-taceum, descriptionem sistens: VESTRI tanquam Natalis soli, benigne aspicere dignemini, ejusque auctorem gratia ulteriori prosequi, est, quod devotissime & humillime contendo. Deum Optim. Maximum supplicibus venerabor precibus, ut VOS, Regni Svethici proce-res & Columnina, quam diutissime so-spites & incolumes servare velit, in Regni hujus magnopere adflucti ac nu-tantis meliores spes ac fulcimentum exoptatissimum, Literarum vero & Li-teratorum auxilium & solatium insigne.

Illustriss: & Generosiss:

Nom: Vestror,

devotissimus & humillimus Clienſ

Claudius Bahr.

*Spectabili atque Integerrimo*

*VIRO*

**Dn. PETRO BAHR**

Teloniorum Inspectori apud Mariæ-  
stadienses & Senatori dexterrimo,

Parenti meo longe carissimo.

**F***Rustra omnino essem, si omnia Tua,  
Carissime Parens, in me chartaceo  
hoc munere demereri cogitarem; sunt  
enim ea tanta, ut vix enumerari pos-  
sint, nedum ut retributionis aliqua spes  
animum meum subeat. Voto igitur rem  
omnem comprehendam; sit illa dies non  
nisi sera, quâ tam bono Parente me or-  
batum sentiam. ego ad cineres usque  
sum permansurus*

Carissimi Parentis

Obsequentissimus filius  
Claudius Bahr.

24  
Herz CLAS BAHR

Om sin födso:ort  
MARIÆSTAD,  
i Upsala disputerade.

Wår i Herz BAHR wid Sala strand  
Mångting ge fram med lärder  
hand.

Ehr födso:ort til åhra/  
Man nåplig wet ho hedras bör  
Mer/ Mariæstad, ån then/ som gör  
Sig möda/ of det lära.


Ty bör med råtta heder ha .  
Så i Herz BAHR, som thenna stad/  
Når man sig rätt påminner ;  
Och bör man staden gifwa pris/  
Att then födt up en Son så wis/  
Sin plickt som sig besinnar.

Min

Min tunga är än spåd och swag  
Min hand ock än ej fått det lag/  
Att hon kan Er brömma:  
Ty önskar iag och trogit ber;  
Er signe Herren mer och mer.  
Stal huldskap Er ei glömma.

Betygade sin sägnad  
thes  
Tienstskyldige

S. ROSENSTRÄHLE.



I. N. J.

- § I. Præliminaris.
- § II. Caroli IX urbium exstruendarum cura.
- § III. In statorem & fundatorem Mariæstadii inquirat.
- § IV. Conciliationem §. I. & III. instituit.
- § V. Originationem Nominis sistit.
- § VI. Situm Mariæstadii investigat.
- § VII. An & quid in eo loco memorabile ante exstructum ibi oppidum.
- § VIII. Templi descriptionem tradit.
- § IX. Curiam depingit.
- § X. De Schola agit.
- § XI. Cancellariam & Xenodochium breviter memorat.
- § XII. Ædium privatarum rationem habet.
- § XIII. De insigni oppidi nostri.
- § XIV. De ejus privilegiis.
- § XV. Victus & commercia.
- § XVI. Fata Urbis persequitur.
- § XVII. Regis Augustissimi CAROLIXI in oppido restaurando cura.
- § XVIII. Sedem satrapæ describit.
- § XIX. De superintendentia Mariæstadiensi agit.

§. I.



Ntequam ad descri-  
ptionem *MARIÆ-  
STADII* accedamus,  
e re nostra fortassis  
erit pauca quædam  
Historiam & genea-  
logiam *CAROLI NONI* illustran-  
tia præmittere: Atque ut tempora  
repetamus Gustavi primi, *Erici* fi-  
lii, gl: memoriæ Regis *Svethiæ*; ge-  
nuisse illum ex *CATHARINA*, thori  
conforte, prolem masculam *ERI-  
CUM*, ex *Margaretha* vero altera  
conjugè, *JOHANNEM*, *MAGNUM*,  
& *CAROLUM*, notius est, quam ut  
multis dici debeat. *ERICO* filio, na-  
tu maximo, Testamento paterno  
cessere regni *Sveciæ* gubernacula.  
*Johanni*, *Arces* & provinciæ pluri-  
mæ in *Finlandia*. *MAGNO* *Ostro-  
Gothia* data cum pluribus parochiis  
in *WestroGothia* & *Dalia*. *CARO-  
LUS* minorennis adhuc *Suderman-  
niam*, *Nericiam*, *Vermlandiam* pa-  
ro-

rochiasq; quasdam in territorio Vasboensi, utpote Ullarfvet/ Ledeberg/ Haslöd och Tårhöd accepit; ceu hæc omnia plenius habentur in Testamento Regio Gustavi primi, apud Ericum Georgii Tegel, ad finem Historiæ, quo & curiosum lectorem remittimus.

§ II.

Diximus CAROLO assignatam fuisse Sudermanniam, Nericiam, Vermlandiam, exiguamque partem territorii Vasboensis, idque factum est anno parentis ejus emortuali 1560. Vix autem dici potest, quanta cum sollicitudine, postquam Ducatum gubernare cœperat, omnes suas provincias excultas, urbibus ornatas, & ampliatas voluerit laudatissimus Princeps. Nominat eum non sine encomiis V. Cl. Joh. Messenius; *nempe quod plurimam navaverit operam, ædificiis arcium in suo Ducatu ornandis, præsertim cum instaret tempus nuptiis deputatum celebrandis,*

*brandis*, (innuit autem nuptias cum  
 ANNAMARIA filia Ludovici ad  
 Rhenum Palatini contrahendas, &  
 postmodum contractas Heidelber-  
 gæ d. 11 Maij A. 1579) Scondiæ il-  
 lustratæ Tom. VII p. 55. quod, si  
 eandem eum semper curam provin-  
 ciis suis exornandis adhibuisse di-  
 xerimus, â vero fortassis non aber-  
 raverimus. Quanta urbium ex-  
 struendarum cura fuerit facile ap-  
 parebit, si *Carolstadium*, ante Sing-  
 wassa dictum, & in Vermiorum  
 meditullio situm; *Christinæ portum*  
 Svet. *Christinæhamm*/ utrumque ad  
 Venerum lacum, *Philipstadium* in  
 continenti fundatum, *Gothoburgum*  
*vetus* aliasque cogitaverimus: qua-  
 rum alias in dulcissimarum conju-  
 gum, alias in filii Caroli Philippi, o-  
 mnes autem sub suis auspiciis, atq;  
 in sui perpetuam memoriam æter-  
 numque decus, partim renovatas,  
 partim ex pagis rusticis ampliatas,  
 partim etiam novo consilio ejus ex-  
 structas

5  
structas legimus. De singulis legi  
meretur Nobil. Michael Wexio-  
nius Gyllenstope in Descriptione  
Sveciæ.

§ III.

Præmissis sic pro ratione instituti  
nostri quibusdam de CAROLI stu-  
dio in urbibus exstruendis ut *statorē*  
& *fundatorem* nostri etiam *MARLÆ-*  
*STADII* indagemus necesse est.  
Fuit autem idem gl. mem. Carolus  
Gustavi, ut jam modo innuebamus,  
filius, tum quidem Dux Suderman-  
niæ &c. Postmodum autem ordi-  
num suffragiis Rex Sveciæ constitu-  
tus anno 1604. Sumserat Dux glo-  
riofissimus occasionem cogitandi de  
oppidi hujus in hoc loco fundatio-  
ne ex incommodo inhabitantium  
territorium Vasboense & vallense  
(*Wallehäräd*) quibus alioquin ne-  
cesse erat ad alias urbes longe disti-  
tas mercaturæ & commerciorum  
caussa, abire, ceu indicat ipse Dux in  
literis fundatricibus A:o 1583, da-

tis haud procul ab initio: Wij hafwe för nyttigt achtadt och ansedt/ at låta fundera och byggia en köpstad wid Tunaholm i Wasbo/ och samma nya stad thet namn gifwit/ att han efter thenna dag skall kallas och heta *MARIÆSTAD*; wære undersätare i Wasbo och Wallehärader som lång och beswärlig köpstads wäg hafwa/ til godo/ och onliggande land til förbättring. Quantum enim incommodi secum ferant longinqua itinera & transportationes mercium, norunt illi, quibus commoditatem in hoc negotio denegavit natura.

## § IV.

Quærat fortassis aliquis à me, quomodo conciliari possit Testamentum Gustavi I. §. I. Dissertat. nostr. citatum. Carolo Duci exiguam territorii Vasboensis partem tribuens; cum literis fundatricibus §. prox. præced: allatis, ubi subjectos suos appellat Dux incolas non solum Vasboensis sed & Vallensis territoriorum.

Aut

Aut igitur territoria hæc â Duce victoricibus armis subacta, aut dono, seu permutatione ipsi data dicamus. Verū res in salvo est, modo rite observentur ea quæ jam substernimus. Erant territoria hæc in possessione Magni Ducis Ostro-Gothiæ, ut ex Testamento Regio modo nominato videre est: Illo autem propter mentis impotentiam carceri, honesto tamen, in villa Kungsbrogensi, incluso, cessit Ducatus, vi Testamenti, fratri ejus Johanni tum Regi Sveciæ; *Caroli* igitur ditioni, territoria hæc Vestro-Gothiæ bina, utpote suæ tum dominationis, adjecit, idque Calmariæ d. 29 August. 1571. & diplomate Regio confirmavit, *Ea tamen conditione, ut suo cederet jure, quod in Oeselium & Castrum Sonnenburgicum sibi vendicaret, aut si Dux Ostro Gothiæ Magnus pristinae mentis redderetur integritati, ipsi tanquam legitimo Domino præfatam cederet provinciam.* vid. Messen. Sccond: Tom.

VII. p. 17. Causam quare hoc fecerit Johannes indicat etiam Messenius l. c. videlicet, ut *in bello Muschovitico fideliora fratris Caroli subsidia experiretur*. cui haud parum accessisse arbitramur, quod ipse Johannes Pontificiæ Religioni faventissimus fratrem suum etiam in partes Lithurgicas trahere cogitabat.

§. V.

Nomen sortitum est oppidum nostrum à fundatoris conjuge prima *Maria*, Heidelbergensi urbe oriunda, & vocabulo svecico *Stad* quod locum aliquem certum primitus, & etiamnum denotare, ex frequenti autem conventu & cohabitatione pro urbe sive oppido usurpatum fuisse, uti cuiusvis satis obvium est, ita & merito arbitramur. Illud obiter adjiciendum existimaverimus, fuisse Monasterium quoddam in Dania à Christierno I. R. D. S:æ Birgittæ constructum A. 1469 communis cum oppido nostro nominis, & cœno-

9  
cœnobium Mariestedianum dictum,  
ut nos docet Messenius Sccond. Tom.  
iv. p. 29. unde autem illud denomi-  
nationem traxerit, non ita liquet.

§. VI.

Cum multis difficultatibus nobis  
non est luctandum, quando ipsum  
situm oppidi nostri investigabi-  
mus; quandoquidem illud in We-  
stroGothia, Regni Sveciæ cele-  
berrima, multisque nominibus  
incluta provincia & territorio Vas-  
boensi situm esse norunt omnes, lo-  
co non minus â natura, quam si cir-  
cumjacentia respicias, amœno, imo  
saluberrimo. Pulsatur ab altera par-  
te Undis Veneri lacus, ab altera  
confines habet parochias: Hassle/  
Ullarfwä / & Lerberg / adeo ut hinc  
respicias lacum spatiosum satis, il-  
linc agros, prata & silvas videas.

§ VII.

Subinnuimus antea CAROLUM  
etiam ex pagis rusticis urbes ampli-  
asse, atque id præcipue de *MARIÆ-*

*STADIO* nostro intellectum volumus; constat enim illud ex quibusdam villis ruralibus *Hasser & Sunnewadsbyen* dictis, in oppidum, quale nunc est, evasisse, hinc etiam mentionem injiciunt horum pagorum *Literæ* foundationis & clarius adhuc *Literæ* confirmat. A: 1589. d. 17. Septembris exhibitæ hoc modo: *Wij Carl &c. Gïdre witterligit att wi med detta wårt öpne bresvonne och efterlåte / att Sunnewadsby / som äro tre gårdar / skall efter thenna dag liggia och blifwa med alle tillågor i åker / ång / skog och watn under Mariæ Stad &c.* Nec quidquam in eo loco, ubi nunc est oppidum, memorabile contigisse, scripto comprehensū deprehendimus.

§ VIII.

Veniendum nunc est ad descriptionem ædium *Mariæstadii nostri* tam *publicarum* quam *privatarum*, ubi primum quidem *Templum* sibi vindicat locum, cujus varias ætates considerare

derare debemus, nimirum quale fuerit ante incendium, & quale post, Exstructo aliquali ratione circa An: 1583 ipso oppido, non deesse passus est, Zelo pro Divini nominis gloria inclutus & Augustissimus CAROLUS IX. suam curam etiam in locis sacris erigendis; unde sub ejus auspiciis factum est initium structuræ templi hujus, ad an: 1593, opus vero continuatum aliqua ex parte ante ipsius mortem & tandem absolutum circa An. 1625. Templo nomen *Mariæ* circa initia ejus inditum fuit, haud dubie in gratam memoriam conjugis Caroli Ducis. Illudque considerari debet secundum formam *internam* & *externam*. Quod ad formam externam, in omnium, saltem plurimorum, est memoria ejus ante incendium, conspectus: illud solummodo videtur dicendum, quod ornatum fuerit turri satis alta; inque ea horologio accurato; tribus campanis,  
non

non solum majoris molis, sed & soni eximii. Illam etiam prærogativam habet, quod satis superq̄ lucidum sit, multisque fenestris illustre. Super utramque januam lapides infixi sunt, singuli cum suis inscriptionibus; qui ab occidente, est lapis, notari meretur & hæc habet verba:

*HANC TAM PRÆCLARAM POSUIT CAROLUS NONUS ÆDEM, MAGNANIMUS SVEONUM REX, PATRIÆQUE PATER*

*NUMINIS AD LAUDES CELEBRANDAS PERPETUE CULTU.*

*NOMINIS AD FAMAM PERPETUAMQUE SUI.*

*INCHOATUM EST OPUS ANNO ANATO CHRISTO MDXCIII.*

*CONSUMATUM VERO MDCXIX.*

Quod ad *formam internam*, nominanda sunt 1. *Suggestum*, Teloniorum Inspectoris Domini Petri Flygge munificentia templo donatum. 2. *Altare*, variæ picturæ tabula collustratum. 3. *Sedes* appa-  
tu

tu Regio coruscantes, Regi & Reginae destinatae. 4. *Baptislerium* æreum, auro argentoque splendidum, singulari liberalitate, gratoque officii erga natalis soli Templum declarandi animo, præcipue autem in Divini Nominis gloriam præter alias sumptuosas res transmissum Stockholmiâ a Nobilissimo & integræ in Regem fidei Viro Domino Brynthone Cronschöldio, Regiæ Cameræ Consiliario, meis majoribus ut arcto consanguinitatis vinculo juncto, ita & post cineres colendo. Ut alias hujus Templi possessiones & ornamenta sicco jam quasi prætereamus pede.

§, IX.

Secundum *Ædium* publicarum locum tribuimus *Curia*, de qua nihil est, quod amplius dicamus, nisi structuram ejus consumatam fuisse A:o 1619, adeo ut intercesserit temporis quoddam intervallum ab ipsius urbis jactis fundamentis ad ejus perfectionem.

fectionem; facile est conjicere, sessiones suas habuisse Consules & Senatores interea in ædibus civium privatis. Habuit & sua fata curia una cum ferali civitatis incendio.

§ X.

Locis publicis adnumerari debet *Schola*, post jacta urbis fundamenta statim exstructa, ubi ansa datur, tam extra urbem degentium, quam oppidanorum filiis elementa bonarum artium addiscendi. Floruit illa fidelibus semper Præceptoribus, uno quidem Rectore, altero Collega uti appellant. Fatendum autem est florentiorem fuisse ante aliquod temporis spatium, quin & credibile est Scholam ibi viguisse trivialem, quando Superintendentia & Consistorium ibi viguerant; postmodum vero, imperante Regina Christina, Scaram translata, illiusque auspiciis quo erat erga bonas literas affectu, Gymnasium institutum Regium & donationes adjectæ,

jectæ. Numerus scholarium Mariæstadiensium dubito, an excedat centenarium, quã paucitatẽ potius tumultuosis hisce & bellicis temporibus quam negligentia vel Parentum vel Præceptorum adscripseris; neque enim illi suam operam deesse passi sunt. Pl. Rev. & Cl. Mag. Laurentio Kyllenio, Odinsâkerensium postmodum constituto pastori, nuper successit v. Cl. Mag. Olavus Knös.

§. XI.

Memoranda equidem nobis esset *Cancellaria provincialis*, utpote ædes publicæ & *Xenodochium* provinciale, quod Mariæstadii longo tempore viguit; Verum de priori agendum erit, quum sedem satrapis, *Mariæholmium*, spectandam proposuerimus de posteriori nihil certi, quod proferamus, in promptu est, præter id, quod non longe post exstructum oppidum à Carolo IX. fundatum, & redditus illi ad sustentandum pauperes

peres & egenos assignatos esse constat. Hoc certum est, illinc Scaram translatum fuisse, dum Episcopatus Scarensi præesset supra nostras laudes positus, nunc inter cœlites beatus, Archiepiscopus D. Haquinus Spegel. Illud quoque liquet quod pars quædam oppidi etiamnum xenodochii nomen, nostratibus (Hospitalet) retineat, adeo ut dubitationem omnem tollat ipsa res multis hodiernum in vivis cognita atque perspecta.

§. XII.

Postulat methodi ratio, ut ad ædes privatas earumque conditionē ante incendium pergamus. Oppidi structuram perfectam non longe post An. 1583 antea adstruximus, sed ita perfectam, ut licet in centum & quatuor particulares fundos divisus sit totus circuitus, modo tamen irregulari exstrui & perfici cœpisse, quandoquidem nulla erat rectitudo platearum, nec sibi  
in-

invicem respondebant ædes singulæ, haud dissimulandum esse putemus. Erat tamen satis egregie & affabre ædificata, pro conditione videlicet & ratione illorum temporum.

§. XIII.

Habet oppidum nostrum insigne, *Taurum dimidium*, ingentibus cornibus, flumini imminentem, ceu oculis etiamnum obvium est, & nos docet Gyllenstolpius in descriptione Sveciæ & de urbibus Cap. 22. Quam ob causam hoc insigne acceperint, non adeo liquet, nisi fortassis credibile sit à soli circumjacentis fertilitate, & tauros pascendi copia factum. Conjecturam nostram confirmat insigne Daliæ, quæ & Tauro pro insigni utitur, cujus rationem, nisi modo adducta valeat, scio nullam.

§. XIV.

Quod ad *privilegia*, sciendum est eadem primam originem debere.

B AMBEX fun-

fundatori MARIÆSTADII sæpius no-  
 minato; Quorum præcipua mo-  
 menta huc transcriberemus liben-  
 ter, nisi videremus nos dudum  
 propositas brevitatis metas trans-  
 gressos fuisse. Illud saltem omitti  
 non debet, singulari clementia ea-  
 dem privilegia approbata â singulis  
 sequentium temporum Regibus.  
 Auxit primum privilegia â se data  
 Carolus Dux A:o 1589. additis in-  
 super annis nonnullis immunitatis.  
 Contributiones etiam & onera le-  
 vata A:o 1640 in Comitibus Nyco-  
 pensibus. Adhæc, responsum ob-  
 tinuere deprecatores, quorundã gra-  
 vaminum levandorum in Comi-  
 tiis Stockhol. 1642. Præterea â Regi-  
 na Christina Privilegia confirmata  
 1650. Iterum Stockholmiæ 1652.  
 ab eadem Regina impetrarunt, ut  
 pecuarius Regium cum agris urbi  
 adjiceretur. Confirmata porro a se-  
 renissima Hedvige Eleonora 1672.  
 quin & â Carolo XI. Heroe incom-  
 para-

parabili 1675. 1680. 1693. denique  
ab administratoribus Regni in mi-  
norennitate Regis nostri 1697.

§. XV.

Urbem populo frequentissimam  
certa commercia & eorundem di-  
ligens studium reddunt. Hæc ete-  
nim illa sunt, quæ quam maxime  
victum & amictum civibus præ-  
stant; hæc, quæ contributionibus  
& oneribus erogandis pares faciunt,  
adeo ut facile dixerim, hisce sub-  
latis actum esse cum urbibus; ut  
ut aliquid agris, silvis, campis, &  
quæ sunt cetera, tribuendum esse  
non negaverimus. Nihil autem  
obstat assertioni nostræ, quod pro  
diversitate loci, situs cœlique variēt  
negotiationes. Alia enim exercere  
comercia datum est accolis maris,  
alia terrarum interiora habitantib⁹.  
Hinc ejus non sumus audaciæ ut  
cum majoribus urbibus nostrū op-  
pidum in hoc negotio conferre su-  
stineamus, quæ quidem collatio

inepta esset. Hoc tamen audemus dicere, quod commercia habeat non spernenda, præsertim cum per aquas vehere suas merces possunt VENERI lacus accolæ. Fatendū etiam est ea majora fuisse, quamdiu ibi esset officina pici elaborandæ addicta, quales habuit Mariæstadium omnino tres. Excercuit tum temporis etiam mercaturā rerum exoticarū, sed sicut unius civitatis incrementum alterius detrimentum sæpe fuisse, nos docet experientia rerum. Magistra; non mirum est, postquam Gothoburgum Stapulæ privilegia acceperat, atque insuper in comitiis Ordinum regni obtinuerat, ut nundinæ æstivæ liberæ unicuique essent, hanc mercaturam Mariæstadiensium minus floruisse; emunt enim tum omnes quotquot circumhabitant, quantū ipsis necessarium est, à mercatoribus Gothoburgensibus. Etiam officina modo nominata Gothoburgū, tan-

tanquam ad commodiorem expor-  
 tandis mercibus locum, translata  
 est. Commerciorum hodiernorum  
 rationem conficit ferrum ex officini-  
 nis proveniens atque Veners-  
 burgum transportatum, quod de-  
 inde cum terrestri, tum maritimo  
 itinere Gothoburgum vehitur; sci-  
 endum vero est Mariæstadienses  
 hoc metallum & id genus alia mari  
 transferre facile potuisse, nisi impe-  
 diret rapidior cursus fluvii Gothici,  
 Adamo Bremensi Gothelba (*Stötha-  
 elfwen*) nostratibus *Trällhätta*/dicti,  
 per mōtes & rupes sese in mare præ-  
 cipitantis. Asseres præterea illuc fe-  
 rūt navigia Mariæstadiensia, sal, ha-  
 leces, aliasque sibi necessarias mer-  
 ces reportantia. Qui ejusmodi na-  
 vigiis destituuntur, cymbis mino-  
 ribus merces huc atque illuc tran-  
 sportando, præcipue ad circumja-  
 centia oppida, victum quærunt.  
 Reliqui ut plurimum vitam susten-  
 tant venditione potulentorum, ut-  
 pote

pote cereviciæ & vini adusti, atque panis triticei, nisi quod nuper ex mercatoribus Gothoburgensibus quidã, Dominus Jacobus Paulin sedẽ suam ibi delegit mercaturã cum Gothoburgi civibus exercens communem. Sunt & Opifices varii generis, qui per officinas suas victum habent; atque licet non adeo magno sint numero, saltem tamen Mariæstadium tot habet, quot ullum aliud ejus conditionis oppidum, Piscaturam alii exercent, sed non eo cum lucro ut pisces aliis, divendere possint; in proprios usus quidquid parare poterint coacervantes. De proventibus agrorum & id genus aliis nihil in præsentem loquimur.

§. XVI.

Restat ut oppidi nostri fata recenseamus; atque quidem hic verum esse intelligimus, quod ubique obtinet: nihil tam stabile, quod non excidio sit obnoxium: sensit enim & id MARIÆSTADIUM; quod  
ædi-

ædibus tam publicis, quam privatis olim exornatum, funestissimo incendio postmodum deletum atq; in cineres redactum est. Manet adhuc in civium fere omnium memoria dies 18 Mensis Augusti, Anni 1693. oppido & civibus fatalis; Cives enim non solum ædibus, sed & omnibus fere bonis spoliavit, atque ad egestatem compulit. Ortum est incendium, incertum cujus negligentia, hora 1. post meridiem, & quatuor horarum spatio omnia solo æquata, exceptis tantummodo quibusdam plebejæ structuræ ædibus, inter Templum & lacum Vener, Nâset appellatis.

§. XVII.

Quanta fuerit Caroli IX in oppido nostro primitus exstruendo, privilegiis ornando, & ampliando cura, tanta fuit etiam Serenissimi & incomparabilis Regis CAROLI XI, in illo post funestum incendium pristinae integritati restituendo; adeo

ut

ut quis alterum in hoc negotio vicerit, difficile sit judicatu. Specimen quoddam ædificiorum exstruendorum a Governatore Provinciali, Perillustri & Generosissimo Barone, *Polycarpo Cronbielmio*, non longe post funesta hæc oppidi fata exhibitum approbavit & confirmavit Rex Clementissimus, assignata insuper Templo ejusque reparationi summa 3244 thalerorum argenteorum, Civiumque in levamen & solatium summa alia æquali. Quo subsidio templum cum oppido renovari & exstrui cœpit. Atque oppidum quidem ex incendio illud habuisse commodi, quod in ordinẽ & ornatum omnia magis postmodum composita sint, non est diffidendum. Crevit igitur in illã speciem qua nunc est; cur vero non magis etiam in dies effloruerit ex supra dictis constare putamus. Quanta munificentia oppidum hoc complexi sint Gl. mem. Reges omnes ex  
Pri-

Privilegiolorum confirmatione & amplificatione hauriri potest. Insigni autem & prorsus singulari hujus loci & commoditate & amœnitate captus, in æterna & nunquã cessatura memoria civium etiamnum vivus, CAROLUS XI. Westergothiam Ducatum, & MARIÆSTADIUM Metropolin, sedemque Ducalem filio suo Paternarum virtutum Hæredi destinasse fertur. Ceterum præpropera morte optimi Regis concilium sufflaminatum, ceu per literas mihi significare voluit Pl. Rev. & Cl.Dn. Mag. Andreas Rhyzelius, prætorianæ Nobilitatis Regiæ sacer Antistes.

§. XVIII.

Descripto sic qualitercunque, & pro modulo ingenii nostri, ipso oppido, ceterisque quæ huc spectant, sedes satrapis, *Mariæholmium*, sese nobis considerandum offert. Est autem illud situm in insula prope oppidum, quam fluvius *Tida* ab omni

mni latere alluit, loco natura amœ-  
 nissimo; ædes pulcre & ornate ædi-  
 ficatas habet, sed ligneas; hortum  
 etiam insignem. Heic est Can-  
 cellaria, & fiscus provincialis. Ha-  
 buit præ oppido hanc fortunam in-  
 sula, quod ab incendio, de quo di-  
 ximus, intacta receptaculū afflictis,  
 quo possessiones suas incendio sub-  
 tractas transferre possent, exhibu-  
 erit: Prædium erat priscis tempo-  
 ribus in hac insula, procul dubio  
 Regium Tunabolm dictum, cujus  
 mentionem injiciunt literæ funda-  
 trices §. III. citatæ. Fatemur et-  
 jam heic locum dilquirendi fuisse,  
 de *Legiferis & Gubernatoribus Vestro-  
 Gothiæ antiquis*, eorum sede & ra-  
 tione dominandi; tum etiam quā-  
 do translata fuerit Mariæstadium,  
 sedes satrapis; sed hæc missa faci-  
 mus, aliis hanc spartam relinquen-  
 tes; nobis sufficiat nominasse tan-  
 tummodo illos Gubernatores, qui  
 post hominum aut paulo, amplius  
 vixere

vixere memoriam, & años, quibus  
huic muneri præfecti sunt utpote;

A:o 1631 Axel Drake.

A:o 1636 Peder Störansson Ulf-  
sparre.

A. 1637 Carl Siageßon Rosendufwa

A:o 1664 Tord Bonde.

A:o 1669 Gabriel Kurck.

A:o 1684 Pehr Ornkou.

A:o 1692 Polycarpus Cronhielm.

A:o 1695 Harald Strömfelt.

A: 1708 Carl Gustaf Soop.

Nuperrime Germundus Ceder-  
hielm variis in Regem & patriam  
meritis illustris, ac post rite admi-  
nistratam spartam Legiferatus Ve-  
stro Gothiæ, Provinciæ gubernati-  
oni admotus est 1712, qui eidem et-  
iamnum cum incolarum omnium  
applausu & gaudio præest, & ut  
diu præsit, ex animo vovemus.

Cameraæ provinciali præest, vir  
Amplissimus & spectatæ fidei Dn.  
Magnus Gabriel Palm. Secretarii  
munere fungitur Vir Industrius Dn.  
Clemens Ehrenholm. Si-

Fisco præest Dn. Magnus Höök, & præfuit aliquo tempore Dominus Olavus Broun, qui quo est ingenio ac industria, mecum nonnulla materiam hanc illustrantia communicavit, eaque propter mihi heic cum honore nominandus. Hæc de Mariæholmio dicta sunt.

§. XIX.

Ut etiam de Superintendentia Mariæstadii instaurata quam brevissimis agamus, sciendum est, quod siquidem sub Ducatu erant CAROLI IX Vermelandia territoriaq; Vasboense & Vallense, necessarium duxit inclutus Dux Templum cathedrale Mariæstadii constituere, & pium ac eruditum virum ordinare qui sub titulo Superintendentis, quomodo suis Ecclesiis singuli præessent Præpositi & Pastores, inspiceret; Præfuit igitur huic muneri, sub titulo Inspectoris, nonnullo tempore Dn. JESPERUS MARCI, antea Pastor Vadstenensis in Ost-Gothia,

fed

sed qui ditiōe regiâ exire per Liturgicas persecutiōes necesse habuit & paroecia rurali Ullerfwenſi contentus eſſe, donec Cathedræ Mariæſtadienſi, juffu & auſpiciis Principis Caroli, admoveretur. Conveniebat tunc temporis quotannis Mariæſtadii Clerus circa feſtum Joſhannis Baptiſtæ; illic orationes habebant & caſus conſcientiæ examinabant; mortuus autem eſt Jeſperus circa finem propemodum ſæculi decimi ſexti.

Jeſpero ſucceſſit Mag. *Mathias Marci* Alandus, concionator antea Aulicus Caroli ix. Cœpit is orationes publicas habere, ſecundum ordinem Locor. Commun. Jacobi Heerbrandi, & examen inſtituere cum paſtoribus in doctrina articulorum fidei, idque tempore & loco modo nominatis; obiit autem peſtifera lue infectus A:o 1603 die 23 Aug. & in templo Mariæſtadienſi ſepultus eſt.

Hinc

Hinc *Petrus Melarthopeus* Fennō,  
 ex Lectore Strengnesiensi Super-  
 intendens Mariæstadii constitutus  
 1605 die 23 Decemb Præfuit of-  
 ficio ex more antecessorum, nisi  
 quod ipsemet in conventibus syno-  
 dalibus præsidem ageret, & respō-  
 dentes oratoresque constitueret.  
 obiit 1610 d. 18 April. Ultimo pro-  
 vinciam hanc administrare coepit  
 Reverendus & Clarissimus Mag.  
*Jonas Nicolai Oriensulanus*, Smo-  
 landus A:o 1612, postquam aliquo  
 tempore scholæ Nycopensi diligen-  
 tem probaverat operam; Conscrip-  
 serat is primum Theses Synoda-  
 les ex tenore LL. CC. Hafenref-  
 feri, atque sub suo præsidio Lo-  
 cum de Deo A:o 1613 ventilari cu-  
 ravit; sequenti anno hanc spartā  
 in se derivatam voluit Mag. *Caro-  
 lus Prætorius*, totius Vermelandiæ  
 Præpositus generalis, atque ita post  
 hac alternis vicibus officio præsi-  
 dis fungebantur; illud non est præ-  
 tere-

tereundum, quod huic Oriensulano integrum esset sacerdotes initiare, quibus tamen antiquitus Strengnesiam, Scaramque abire necessum erat. Post hujus mortem translata est cathedra Carolstadium atque Superintendentis inspectioni commissa est Wermelandia cum ceteris provinciis; Wasboense vero & Vallense territoria restituta Episcopo Scarenfi.

Primus Pastor & Præpositus fuit Mag. *Laurentius Billichius* Vester-Gothus, vocatus postmodum & constitutus Episcopus Gothoburgensis, idque Annō 1671 d. 7 Novemb. Fatis concessit Gothoburgi 1678 & conditorio suo illatus Mariæstadii. Tanto viro qui succederet, dignus habitus est Magist. *Thorbernus Fagreus*, Gr. L. Lector Scarenfis & Prof. Upsaliensis, Joh. Loccenii gener, literis ad id regiis instructus 1671 d. 7 Novemb. ipse singulare & pietatis & doctrinæ exem-

xemplum fuit per 18 annos nempe usque ad A:m 1689 d. 30 April quo supremum diem obiit.

Eodem anno Mariæstadio designabatur Adm:Rev. & Præclarissimus Dn. Mag. *Andreas Bellander*, in præmium ac remunerationem eruditionis & in officio diligentia, quam paroecia Ångsön in Vestmannia per novem annos ante experta fuerat. Regia enim auctoritate in officio confirmatus est festo ascensionis Domini, atque injunctum sibi munus, per 27 jam integros annos obivit: cui vires, valetudinem in declivi ætate, ac longam annorum metam à summo ovium & animarum nostrarum Pastore apprecamur. Hæc erant, quæ de Mariæstadio & aliis eo pertinentibus nobis dicenda liber memorialis templi Mariæstadiensis & alia documenta ipsaque demum experientia suppeditavit. Constitueramus equidem aliqua ad historiam

riam

riam arcis Arnæsiensis, utpote non longe à Mariæstadio distitæ, adferre; sed facient illud alii, qui eruditionis & otii plus habent; ego heic finem facio, postquam Deum Opt. Max. submissis compellaverim precibus, ut Regem nostrum Clementissimum CAROLUM DUODECIMUM (sub cuius vexillo, Divina gratia, tutam fore hanc patriæ plagam confidimus) Clypeo misericordiæ suæ ab omni ulteriori hostili incurfu dolisque occultis sartum & tectum conservare velit; Nobisque tandem auream pacem, jam diu expetitam, restituere; quo sub Rege nostro, in pace & tranquillitate vivamus.

S. D. G.



C

Doctis.

*Dofissimo*

Dn. CLAUDIO BAHR,

quum de MARIÆSTADIO, natali solo  
suo, in Academia Upsalienti publice  
disputaret.

Popularis & amice integerrime!

**N**ON exiguos Te, Amice Hono-  
ratissime, in literis & bonis ar-  
tibus fecisse profectus satis intelli-  
go, siquidem nuper, non sine sum-  
ma voluptate accepi, Te specimen  
Academicum de Mariæstadiensi  
Urbe meditari. Elegisti, fateor,  
materiam arduam satis, sed juxta  
egregiam; saltem omnibus iis,  
quibus antiquitates Patriæ, in-  
que his descriptiones urbium cu-  
ræ cordique sunt, non displicituram.  
Cumque singulari & indefesso stu-  
dio, quæ ad cognitionem ejus me-  
morabilium pertinent, luculenter  
ostendisti, de natali tuo solo optime  
mereris. Jam gaudium affers hon-  
nestissimis tuis Parentibus eximi-  
um,

um, eosque magnopere oblectas.  
Hinc etenim in certissimam erigun-  
tur spem, fore, ut ad eam eruditio-  
nem brevi pervenias, quâ Patriæ  
atque reipublicæ egregie possis in-  
servire : quam bonæ frugis de te  
conceptam spem, non modo ut im-  
pleas, sed & longè superes, spero &  
voveo. Faxit Deus, ut cum hoc præ-  
sens honestissimum inceptum sit fe-  
lix & faustum, tum cetera tua con-  
silia cedant in ejus Nominis glo-  
riam, tuum tuorumque emolument-  
tum atque decus, ita precor

*Tui semper amantissimus*

Saby W-Goth.

d. 5. Junii 1736.

JONAS WOLLIN.

Seinen

Vielgeliebten Freunde /  
Herz CLAES BAHR,  
Als Er von Maria-Stadt /  
rühmlich disputirte,

**V**or zeyten wars ein ruhm / vors  
Vatter-Land zu sterben /  
Und sich / vor dessen glück / selbst stür-  
zen ins verderben.

Ich aber halte / der verdiene glei-  
chen preis /

Der ihm / so lang Er leb / stets treue  
dienst erweis.

Dem / der da fragt worumb / will  
diese ursach geben /

Das meiste Reich' / der Welt / ge-  
wachsen sind durchs Leben /

Behertzt-und tapfferer Leüt : hin-  
gegen durch den tod

Derselben / kommen sind oft in die  
gröste Noth.

Das /

Daß / demnach / da Herz Bahr ver-  
suchet / zu vermehren  
Den Ruhm seins Vatter Lands / sich  
selbst verdient viel Ehren /  
Er kennet jeder man / der nach Ge-  
bühr ehrwägt /  
Was diese Schrift zum Ruhm  
Mariæ-Stadt heyträgt.

Weswegen ich ihm denn / von hertzen  
gratuliere,  
Und wünsche / daß Er fort / sein Leben  
also führe  
Wie es der Nutz und Ruhm / des  
Vatter-Lands begehrt /  
Damit denn auch sein Ruhm stets  
mehr vermehret werd.

Gratuliret Wohlmeinend

S. J. WASHBORG.

*Eximio ac Ornatissimo*

*Juveni,*

Dn. CLAUDIO BAHR.

LÆtitiā, quam animo percepi, postquam Te Upsaliæ disputaturum cognovi, haud aliter, quam Gratulatione aliqua, declarare potui. Gratulor quippe Tibi insignes ingenii dotes. Gratulor, quod nobile argumentum de urbis Mariæstadii fundatione, a gloriosissimæ memoriæ Rege CAROLO IX. facta, situ denique ejus, & reliquis memoriâ dignis monumentis, Exercitio Academico in Te susceperis enuncieandum. Insuper etiam voveo optoque, ut in bonarum artium studiis felices in dies profectus facias, quò debitam, quæ animum doctrina excultum comitatur, mercedem, dignè aliquando consequaris.

*Tui amantissimus*

G. PROSPERIUS.

Ad  
Prestantissimum Dominum  
RESPONDENTEM,  
Amicum & Popularem  
Honoratissimum.

**R**Es est magna, loco si sis prognatus  
honesto;

Major at est, illi conciliasse decus.

Illud forte datur, proprio sed Marte  
paratur

Posterius: doctum sic monumenta docent.  
CLAUDI, dum non feris tenebris memo-  
rabile claudi,

Urbs quæ Te genuit splendida quid-  
quid habet.

Hoc sed sollicitus referas, en additur urbi  
Gloria natali; gloria multa Tibi.

Nomen habes parvum, sed grandia spon-  
det Ebræo,

Sive legat retro hoc, ordine sive legat.

CLAUDI BAR, bar rab, vel magnus  
filius audis

Sic Mariestadii civibus usque Tuis.

Sique pari studio pergas insistere cæptis;  
Et τ̄ Rabb finem claudet Iota brevi.

Festino calamo scripsit

JACOBUS Cl. SCHIERPING.

BA

REASONABLE

REASONABLE

REASONABLE

REASONABLE

REASONABLE

REASONABLE

REASONABLE

REASONABLE

REASONABLE

REASONABLE

REASONABLE

REASONABLE

REASONABLE

REASONABLE

REASONABLE

REASONABLE

REASONABLE

REASONABLE

REASONABLE

REASONABLE

REASONABLE

REASONABLE

REASONABLE

REASONABLE

REASONABLE

REASONABLE

REASONABLE



